

Æstiva rosa viro pl: rev:  
excellentiss: ae  
præclarissimo dn. m.  
Andreaë Wano...

Rogbergius, Johannes,

*1 Ic 1689 Wanochius, Andreas Jacobi*



National Library  
of Sweden

ÆSTIVA ROSA

VIRO

*Pl: Rev: Excellentiss: ac Præclarissimo*

**DN. M. ANDREÆ  
WANOCHIO,**

Phil. Pract. & Hist. Professori Ordinario meretiss.  
utriusque Consistorii Adseflori  
gravissimo.

Dum

*Consensu Illustris: Celsissimiq; CANCELLARII, & Amplis-  
simi SENATUS Academici applausu Anno MDCCLXXXIX*

*M: DC. LXXXIX. Die xxvii. Junii*

**RECTOR Athnæi Ab. MAGNIFICUS  
Crearetur**

*Ab Obedientiss. Discipulis porrecta*



**F**ama sublimis pietatis astrum,  
Aureo signo spatium hoc serenat,  
Floribus gratis nitidos triumphos  
Vestit ad auram.  
Pectoris magni rutilum capillum,  
Gloriæ fasces, hyacinthus, uva,  
Auster augustus rubefecit ortu,  
Lucifer axe.

Diva tum Pallas veniens olympo,  
Sceptra Parnassi radiantis æqua,  
Præsidis Dextri capiti Sacrato,  
Pignora ponit.  
Urfa florescit retinens vigorem,  
Nobilis laudum capit hunc honorem,  
Ordo sic Almus valet hic perennis,  
Gaudia crescunt.

Magne nunc Rector celebris per orbem,  
Dogmatis morum Moderator ingens,  
Conde nos omnes gremio parato,  
Nectare pasce.

Qui Deo voces pietate purâ  
Fundimus prompti, Tua quo Salus his  
Floreat terris, capias coronam hinc  
Incola cœli!

*Devoto animo, arenâ etsi vili cecinit.*

JOHANNES ROGBERGIUS. Smol.

**L**itcolis calthis floret Parnassia rupes,  
Purpureo vultu stat decoratus ager;  
Interea tu dulce melos modulare Juventus  
Junius hos cantus, postulat heic nitidus  
Eja! Deum eborda resonante carmine digno  
Nam permutatur, munus Apollineum.  
Splend-

*Splendida que felix jam gessit sceptrum per annum*

*Rector Musarum, grande decus Patria,*

*Excipit en alter, splendet qui nomine laudis,*

*In musis audit Phosphorus & merito.*

*Fausta dies oritur, famam notissime Rector,*

*Tespiadum quando jura dabis populo.*

*Felix sic capias Insignia clara Lycæi*

*Et curam vigeant usque tuam teneri!*

*O summum vires dones sub pondere Numen!*

*Quo Patria crescant commoda cuncta cito*

*Magne simul Rector Domui viridissima laurus*

*Sis clara, tandem Cœlitibus socius!*

*Eti tenui avenam tamen pectore devoto hæc adjecit*

ISRAEL T: MALMBECCHIUS Junc. Smol.



omnium castissimarum Nympharum stupor, omnium splendidissimarum Reginarum delicia, Regina fulgidissima celsissimo Throno imposita Virtus est, quam omnia, tam animam habentia quam eam carentia amant, colunt, celebrant. Nos præcipuè felices pronuncio, faustos ebuccino, prosperos exclamo; quod dignata sit, hic habitare & sub polo boreo Palladium habere atque in amœnissima Auræ ripâ sedere. Huic Elementa, lapides, gemmæ preciosissimæ honorem attribuunt. Hanc, plantæ innumerabilibus figuris & coloribus ornant. Animalia omnia, omnimodè hominū ceterorum Dominus, statas suas vices servat, quibus ordines mutantur, ut, illustrior fiat, floreat, vigeat, vireseat perpetuò, gratus & purius micet, horto multis myriadibus ocellorum commixto. Oigitur Phosphorus rutilans! O matutina lux! O hora beatissima! quæ Excellentissimi Mæcenates hujus Acroaterii Patroni ac Præceptores perquam celsissimi M. SIMON Tâpo & Admodum Rev. Magi AND: WANOCHIUS; Ille deponit insignia ac munia universitatis. Hic in se ea derivat. Interim ò Deus clementissime qui superiorum Magistratum cordibus indidisti hunc ritum observandum, ad semiterium hocce Reipubl. literariæ irrigandum. Ad te cœlesti Numen confugio, obnixè oro & obtestor, velis huic perquam

quam MAGNIFICENTIAE hoc futuro anno radiis tuis clementiae adesse, ut Illi superiori adstitisti, ut tutos & proficuos sub tuo umbone sapientiam veram imbibere & totius mundi Reginae vastissimae servire possimus. Insuper T. P. Magnificentiae munere hocce feliciter levatos, inde serie annorum inexplicabili refecto, in Reip: lit: Emolumentum, Patriae Tuae Charissimae utilitatem, Honestissimae Tuae Familiae ac Conlangvineis decus ac ornamentum maximum, Caelestia gaudia donet. Sic cordicitus optat

JOH: LILLANDER, Junc: Smol:

**V**iderat inrevido stipatum Milite Martem,  
Hesperios terrere Deos, iterumque cieri  
Turbas, & Rheno Dissendi carbasa Pallas,  
Turmigerasque rates & bellatrix rostrum,  
Atque hominum Cadem, Vulcani & fata nefanda,  
Orbem tum solvi terra; sic ora resolvit:  
Si ferveret Mavortis opus si fama paratur  
Cadibus, & crudo nascentes sanguine lauri:  
Si induat ipsa sibi vultus Bellona cruentos,  
Orbis & ipse fiet nunc massi Carminis author:  
Me quoque terra Deam vexet; non languida nobis  
Regna manent, gnavae si oblectent secla sagittas:  
Ecce triumphales currus volventur Aboa,  
Egregiasque vices Sapiencia cum Jove habebit.  
Otia & alta quietes, nec non pax aurea Musas  
Pascunt Arctoum; Placidus regnabit Apollo  
Axe Poli gelido. Turbabunt nubila nulla  
Gaudia que dabimus. Post certa negotia rerum  
Declarabis si venient ex ordine recte,  
WANOCIIUS dexter ridente cohorte Minerva.  
Sumet Palladii, fasces & sceptrum regenda  
Quae in castris capiet Musarum strenuus Atlas.  
His dictis siluit. Mox ibant ordine Dive  
Undique late, sunt tandem percussa frequenti  
Pollice fila lyra, resonabant carmina nervis.  
Fundite voca pie, quos promovet ipsa Minerva,  
Cum nobis dextre modulamina dulcia ferte.

DANIEL WJIBER.